

1978

N

11

[5711]





AD
VIRVM ILLVSTREM
DANIELEM WILHELMVM
TRILLERVM D.

CONSILIARIVM AVLICVM REGIVM

MEDICINAE PROFESSOREM PRIMARIVM

IN ACADEMIA VITTEBERGENSI

AMICVM

ANIMORVM STVDIORVM MVNERVMQVE COGNATIONE

SIBI CONIUNCTISSIMVM

ELEGI

TERTIVM ET POSTREVM

DE TEMPORE QVERVLI

D. G. G. RICHTERL

Kapsel 78IV11 [7]

AK



Ter TRILLERE meis praebebis planctibus aures,
 Nam belli aerumnas tertius annus alit.

Tertia detonuit sub fulmine & imbribus aestas,
 Augusto horribilis mense procella fuit.

Et tunc terga quidem fugientis vidimus hostis,
 Attamen illa parum terga videre iuvat.

Victoris plerumque tepet, victi aestuat ira,
 Lactitiaeque vetat prodero fronte notas.

Hinc fugiens inter praedas incendia caedes
 Anrorsum & retro calce manuque ferit;

Vlturusque suos illata ex clade dolores
 Atra haud dissimulat bile timere iecur.

Pec̄ laetas segetes, quibus imminet hora metendi,
 Indomiti nulla lege feruntur equi.

Circumfunduntur dextra laeuaque cohortes,
 Atque vno absumentur pabula nostra die.

Iactura armenti vacuque in rure labores
 Implent agricolam concuruntque metu.

Frentibus insillunt curarum nubila nostris,
 Tristitia quisque timet, iam sibi, iamque suis.

Plus noxae impendet. Sed tergis victor inhaerens
 A spoliis repulit caede vel igne manum.

Nunc belli in nostro nullum strepit aere fulmen,
 Fert multum autumnus plusque quietis hiems.

Non sonat in nostris hostilis buccina campis,
 Non somnum ut nuper classica pulsa fugant.

Nil aures fremitu, mentem terroribus implet,
 Quisque suis stabulis gaudet abesse lupos.

Docta cohors almae nutritis ad vbera tendens
 Prisco iterum numero pulpita nostra petit.

Sic quadam fruimur pacis vel ludimur umbra,
 Nec tamen illecebris haec caret umbra spei.

At pungunt passim spinosae in pectore curae,
 Annorum occurrunt aspera fata trium.

Et quia tot regum nondum deseruit aestus,
 Inuicit aestatis quarta procella metum.

Immi-

[5] M 185 Juyon

Inminet armorum noua vis, et iure veremur,
Pacis adhuc spissa nube latere iubar.
Mortales oculos hebetat caligo futuri,
Proxima quis nouit quid ferat hora mali?
Tu pede pacato res nostras ire iubebis,
Fingesque e duris mollia corda Deus!
Dextra Tua arcebit nostris de sinibus hostem,
Inque fugam rursus, si redit ille, dabit,
Nec sinit imperii decus ima stirpe reuelli,
Sed stare incolumi, quo stetit ante, gradu.

Sub uestro resonant grauiora tonitrua coelo,
Hybernusque regit nox velut vna dies.
Fatorum immitis series facit aerea belli,
Aurea quae quondam tempora pacis erant.
In mediis lacera vos undis puppe relinquit,
Et portum opatum non reperire liquet.
O Patria infelix! o insons uictima belli!
Vim nimis intendit fors inimica suam.
Sacuitiae numeris tantum non omnibus vsa
In Te saepe nouas iactat ab ore minas.
Te velut e summo scopulorum vertice icit,
Quam blando baud pridem fouit amica sinu.
Syluae excisae horrent, ignisque suburbia vastat,
Subque tributorum mole fatiscit inops.
Panis & vnda datur miseris, non cultiva sestas,
Non habet in gelido carcere sella locum.
Sic pulchrum emoritur succiso poplite corpus,
Priscus tabe perit conficiturque vigor.

In vos nil, inquis, decreuit sanctio fati,
Quod fortes humeros posse grauare putem.
Quanto plus fuimus passi! vix copia fandi est,
Cura minor loquitur, maxima cura supet.
Victos Romanos grauiores Pollio dixit,
Collige, crescentis quae sit origo mali?
Mutamus Dominos non fatum. Perdita res est!
Sive sub hoc gemimus siue sub hoste nouo.

Æqua fides! manus vna premit, manus altera mergit,
Per varias patimur deteriora vices.
Sub tam communis densa caligine luctus
Obvoluit vultum nostra Camœna suum.

Sic est, quisque suae plus iactat iura querelae,
Par ex fonte tibi surgit utroque dolor.

Dumque mali sensus nunc vna ex parte remittit,
Me TRILLERE tuæ res Patriæque moent.

Tene columbarum prope nidum in vertice summo.
Oppletæ cogit fors habitare domus?

Atque sodalitiu librorum circiter oclo
In latebris veluti per pia furta frui?

Sub pedibus resonant moestis ululatus aegri,
Vnus sub terebra cum fremituque perit.

Heu quot non alias planctus grauis occupat vrbes!
Quae viguere magis, fors magis arcta premit.

Lipsia Teutonicae quæ dudum gloria gentis,
Misiuicae terræ carus ocellus erat;

Mercurius cui grande decus, cui maius Apollo,
Ille viros celebres, sed magis ille dabat;

O quam prae multis caput vrribus extulit! o quam
Cue fuit felix, splendida, diues opum!

Nunc vel ab hoste suo discernere nescit amicum,
Vel se tanta inter nubila posse negat.

Difficilis res est magni custodia census,
Quam non Paçoli suscitât vnda sitim?

Fama nocet, pollere bonis, causa excidit omni
Diues, eum faciunt bellica iura reum.

Ius belli vel poena Dei est vel semideorum,
Conciliare Deum semideosque iuuat.

Versari ante oculos TRILLERE tuosque meosque
Non citra gemitus Lipsica rura queunt.

Tam bene de nobis meritaë stat gratia Matris,
Quæ nostra Aonijs pectora lauit aquis,

Et docuit quondam decreta ac scita sôphorum,
Quin nostras lauri cinxit honore comas;

In-

Inque salvari se praebuit arte magistrum,
 Fulva viris, quorum est nescia fama mori;
 Cum caput in medico tunc ordine Bohnius esset,
 Doctrina, ingenio, moribus, ore grauis;
 Riuii riuos Phoebæa iuuenta stiret,
 Hanc soliti ut plantas saepe rigare suas;
 Pauli indagantis fabricæ per corpora leges
 Doctam exerceret sectio crebra manum;
 Denique Schacheri longo vsu exercita virtus
 Daedalea medicos fingeret arte viros.
 In desideriis pars non fuit vltima nostris,
 Tempore tam molli tot ducibusque frui.
 Sic placide nobis effluxit Olympias vna,
 Vix similem posthac lustra dedere nouem
 Selecto ex numero, quem viderat illa palæstra,
 Tu mihi nunc superes solus, egoque Tibi.
 Creuit amicitiae sub honesto fomite cultus,
 Et studii ac morum foedere nixa stetit.
 Quem pariunt sensum prinæ contagia vitæ,
 Non bebetem ætatis torpida reddit hiems.
 Vna nos renuit satum coniungere sede,
 Corpore diuulsis mens tamen vna manet.
 Gordius est nodus, quem nil nisi Parca secabit,
 Annorum hunc caries soluere sola nequit.

A nostri obrutu prisca decor abripit æui,
 Hic habet illecebras, non habet ille pares.
 Quod pulchrum est, his terque cani non ambigo posse,
 Ambigo sed toties aspera posse cani.
 Nam redit in vulnus ruditer detecta cicatrix,
 Qui mentem pungit, cur sit in ore dolor?
 At fixum est, terno solari hæc vulnera questu,
 Dum, quæ TRILLERI est, auris amica fauet.
 Vere et simpliciter, si non satis omnia caute,
 His gesta haud pridem commemorabo locis.
 Non iacto asslatum sacras in carmina vires,
 Qui chordas tremulo pollice tango senex.

* * *

Regum FERNANDVS binorum in foedere Dextra
 Veris ad accessum proinus arma capit.
 Robur Achillis eum, prudentia Nestoris ornat:
 Hoc quondam Alcides se tulit ore, reor:
 Turmarum ebullit sanguis sub nutibus ejus,
 Quotquot sunt, omnes aenulus ardor agit.
 Pacificus, qui spectat eum, nunc indicat ultro:
 Conveniunt nobis hoc duce bella magis.
 Igneus impellit vigor & transferretur in omnes,
 Miles inardescens increpat ipse moras.
 Viuida iam virtus timidus in bella resorbet,
 Parmula queis pulsus saepe relicta fuit.
 Sic adeunt hostem magna inter calla latentem,
 Perque tot anfractus insidiasque loci.
 Multa fauent hosti: dux praestit inclitus armis,
 Francorum & Martis Broiglio grande decus.
 At quid FERNANDVM terret? cui sanguis auorum
 Viresque inspirant ipsa pericla nouas.
 Cui syluas, fluitos, fossas, munimina, moles
 Quis facile obiciet, quin penetrare sciat?
 Multi utrinque cadunt. Cadit Hlenburgius ipse,
 Infaustus terebrat forria corda globus.
 Vno animo tantum pia desient agmina finus,
 O quas virtutes obruit vna viri!
 Cur erat hoc peccus duris penetrabile telis,
 Quod patriae spirans arsu amore suae?
 Opposita quoque parte cadit vis lecta virorum,
 Hostiles oculos propria damna rigant.
 Haec est ad Bergam decantatissima pugna,
 Quae palmam ambiguan nocte dirempta dedit.
 Vix dubitare licet, si plenior illa fuisset, uictorem in
 Subnato aestatis nos caruisse metu.
 Iam Francis sociat Contadius arma regiturque,
 Vis belli Hassiacos rursus immdat agros;
 Et numero confisa suo per Westphala rura
 Urget FERNANDVM prosequiturque diu.
 Ille retro visus vestigia vertere sciuit
 Inducta hostiles fallere mube vias.

Quae

Quae campis acies, quae fraudi accommoda vallis?
Disceit, et in salebras prouidus arte trahit.
Haec mora tam prudens metam non attigit aegre,
Plenius inspecti nixa favore loci.
Iamque malus genius Francis suggestit, adire
Vt caderent, Mindam. Quis sua fata fugit?

Sisto pedem, Vcalegon nobis iam proximus ardet,
Gottingam ex aliis vrribus hactenus adit.
Res prius explorat cauto moderamine nostras,
Paucaque contentus posseere sponte redit.
Hoc ter tentatum est. Mox formidabile nomen
En Fischeus adest asper. Et ore minax,
Qui solitus nuper duras imponere leges,
Vt lupus insontis crimina fingit ouis.
Cras, ait Et magnam summam simul irrogat aeris,
Exactor praefens ultor eritque morae.
Haud quaquam est mendax, dum dentem exasperat in nos.
Haud iactat vana garrulitate minas.
Curia eum vidit, cum fulmina spargeret oris,
Apta mihi plenam conciliare fidem.
Terruit attonitum fremebunda voce senatum,
Ciuiibus iniecit militis ira metum.
Nil tam probrosium est, tam saeuum in corde furoris,
Quin ea sex hominum sparserit atra magis,
Horis quam ruditer cunctis noua munera poscit,
Et vina effundit non pretiosa satis!
Infusum Coffee ter in vna nocte requirit,
Lautitiasque tibi pro reuouente gula.
Et dux ipse gregis nullum ex bis esse faretur,
Quem laqueum decies haud meruisse putet.
Hos meruit comites, illi hunc meruere magistrum,
Pro mercede datur restera: cuncta licent!
Tales immittit censum extorquere paratos,
Vix ita daemon atrox angere corda potest.
Inspicit ipse sebedam, nebula qua prodidit omnes,
Quas ad praedam aptas censuit esse, domus.
Heu mihi! nostrum etiam scheda continet improba nomen,
Res quoque commendat proditor ille meas.

Scriniolum tribuit splendente numismate plenum.
Sic fere pauper opum suspitione premor.
Iam natum expectant irae scelerumque ministri,
Et velut accipitrum destinator ungue rapi.
A Francis asserta tamen me iura tumentur
Huic data Musarum Castalidumque oboro.

Commissae ad Mindam nunc pugnae fama vagatur,
Nuntius & cladis primus ab hoste venit.
Viribus hic potior voluit decernere ferro,
In dubio palmae non ratus esse decus.
Et regionum harum properans decidere sortem
Priscarum est laudum militiaeque memor.
Strictam Bellili praescribit litera normam,
Sub graue quae victos destinat ire iugum;
Virescentemque monet nervos succidere rerum,
In praedam et miseris fit sua vita satis.
Non Deus assensit, non annuit ille superbis,
In nostra arbitrium qui quasi fata gerunt.
Partiri incipiunt, adeo sunt vincere certi,
Verum FERNANDO iam nova palma virescit.
Statque Deo tantique Viri res nostra lacertis,
Pugnant pro nobis, spem refecantque vocam.
O FERNANDE Tibi tellus & militat aether,
Exigua fundes millia multa manu.
Consilium pugnae nunquam sine Numine sumis,
Eius Te clypeus, nos Tua dextra regit.
O quam laeta Tuis haeret fiducia castris!
Imperii aequale est obsequiique decus.
Quantum nempe duci deuoto in milite robur,
In dace tantum epis est militibusque spes.
Ad signa attentus miles caput obicit hosti,
Et pugnandi audis nulla pericla timer.
Dum strident glandes, dum densior impetus urget,
Per gladios penetrat fulmineosque globos.
Contra tela decem clypeus se protegit vnus,
Contra hostes plures dimicat vna manus.
Fisa Deo sortique Duci manus illa sibi que
Haesura hostili viscere tela vibrat.

Vincere ei princeps honor est, sed proximus ille,
 Nitendo contra stridula tela mori.
 Omnia sub tonitru fremituque tubisque tremiscunt,
 Sub pedibus tellus lubrica caede rubet.
 Tecta prius caute nudat mortaria miles,
 Quam flammam eructant, cumque fragore necem!
 Machina quas voluit moles! pluit alite plumbo,
 Inque hostis medium detonat igne sinum.
 Sic turbo vehemens erectas sternit aristas,
 Sic tempestatum dissipat ira rates.
 Quam stragem tulit ille dies! quae funera vidit!
 Hic cerebrum, hic truncus pesque manusque iacent.
 Sanguine spumantem referunt tepuisse Villargin,
 In quem densa cohors ponte reiecta ruit.
 At retrahit Musam profusi sanguinis horror,
 Est ea progenies pacis & arma timet.
 Vidtricem FERNANDE tamen da tangere dextram,
 Cumque Deo nostras protege porro focos!

Mensis ut Augusti decorant haec fata Calendas,
 Interque eximios hunc posuere diem;
 Sic fuit ille dies sacer & memorabilis olim,
 Ingens in fastis perpetuumque decus,
 Quo vidit praesens Augusta Georgia Numen.
 (Fecisti haec nobis gaudia summe Deus!)
 Vidit eo Regem, cui nomen debet & ortum,
 Filia protiecit se Patris ante pedes.
 Quam Musis vitam suus inspiravit Apollo?
 Quam mire eluxit regius ille fauor!
 Gratia quanta oris! quanta haec reuerentia vultus!
 Quae non sculpta animis Regis imago sedet!
 Non dedignatus moderari haec sceptris lycei
 Horum Bochmerum iussit adire vices;
 Distribui in templo doctorum praemia vidit,
 Sex quoque nostra manus contulit illa viris.
 Quam pura est huius lucis meminisse voluptas!
 Quam merito erexit nostra Camoena caput!
 Ergo diem, quem pacis opus, quem bellica palma,
 Reddidit illustrem, lactea gemma noset!

) (

Iam

Iam Rege incolumi timidos nos dedecet esse,
Nos esse erectos vindice Rege decet.
Nam sub pacificis componet nitibus orbem,
Et reget ambiguum per freta vasta ratem.
Mitigat armatas victrix clementia vires,
Offert ad pacis foedera sponte manum.
O non sit Parcis violabilis illa senectus!
Donec ea Europae sit stabilita salus.
Quin & adhuc tanti fructus legat illa laboris,
Sitque diu Britonum gloria & orbis amor.

En vero effusus lacero velut agmine fertur,
Hosque indeseptos obruit hostis agros.
Quis non vidit eum squalere fameque siti que,
Vulneribus, luctu, bile, pudore fugae?
Verum animos recipit, dum nos deprendit inermes,
Corrumpitque nouo gaudia nostra metu.
Pileus huic deest, sagulum illi. O cedite ciues!
Ex his nil vestrum, quidquid habetis, erit.
Calceus huic lacer est, dare cogitur obuius illum,
Quem gerit in proprio, nunc lacer ipse, pede.
Exigere vtrices per nostra pericula poenas,
Si mora fauisset, prona caterua fuit.
Nulla domus non est terrore & milite plena,
Nullaque, quidquid habet, promere iussa negat.
Nostra duos Comites & seruos octo recepit,
Treddecim equos fessos sarcinalisque graues.
Non onus accuso, Comitum sed laudo meorum
Mansuetum ingenium, quod vel in hoste placet.
Claudere velle fores turba hinc abeunte iubemur,
Disciplinae, aiunt, iam rigor esse nequit.
Vimque manusque licet nunc acre inbibere rapaces,
Et vigilare oculi non tot ut ante queant.
Istis consiliis merito fit amabilis hostis,
O vtinam plures spiritus ille regat!
Hoc ubi neglectum est, ibi militis urbe profecti
Dextra tenax spoli, caede cruenta fuit.

CAROLVS, Heroum feruente e sanguine Proles,
Ad Patrum exemplum mente manque celer

Hae-

Haerentem in nostris repulit cervicibus hostem,
Inque fuga attriuit clade subinde noua.
Non fortuna fuit primis successibus impar,
Non illa optato destitit ire gradu.
Capta Monasterii promittunt moenia prisca,
Quam damno ingenti deseruere, fidem.
Württemberga etiam Francorum nitibus arma
Dum nostris infert finibus, ausa luit.
Victores autem terraque marique Britannos
Hoc anno insignes orbis uterque supet.
Viraque Francorum pulsorum est India testis,
Et maria Europae vela Britannia timent.

At nondum satis est nostro de sanguine fusum,
Quis sentit belli detumuisse minas?
Agmina adhuc pugnant medium collecta per orbem,
Non hiemale illis eripit arma gelu.
Olim concordēs aquilas quis diuidit error?
Et consanguineas audeat adire domos?
Nunc hoc obitu nunc illo auulsa requirunt,
Nunc hoc nunc illo foedere vulnus alunt.
Multos armat honor, dum sordet inertia pacis,
Alliciunt veterum tot monumenta ducum.
Non in vaginam gladiis sed viscera mersis
Mortales inter maior habetur honor.
Non mundis manibus plaudunt sed caede cruentis,
Absque cicatrice est rarus in ore decor.
Arrident galeae, framae vultusque minaces,
Vix alii applausum posteritatis habent.
Quis velit ignauae vitae tolerare pudorem?
Desidia inuoluit laurea nulla caput.
Nil solidae occurrit tranquilla per ora laudis,
Plebeias animas vita quieta decet.
Sic calidus sanguis, sic iudicat aestus honorum,
Atque nouo tepidas insruuit igne faces.
Cygni detrectans heroum gloria plumas,
Omnia contemnit mollia, dura probat;
Et properat frontemque truce sub casside condit,
Virtuti est feritas ira rigorque comes.

Pugnando aequirit, quin ipso a vulnere, cines,
Inque metu exultat, non in amore sui.
Brumam optat tepidam modicosque aestate colores,
Ne progressum aestos, neue retardet, hiems.
Quin his affuescit, quos mittit Sirius ignes,
Seque suosque gelu ferre niuale docet.
Armis non aliis instructa potentia neruis,
Semper, qui plaudunt, quique sequuntur, habet.
Quidquid agunt Domini, mera sunt miracula dextrae,
Et quidquid calcant, fit rosa sub pedibus.
Fabellas parium alternis prela diebus,
Turba popinarum vult nouitate frui.

Heu quos hoc anno stravit manus improba Martis!
Quis tot sicco oculo millia caesa legi?
Vix reparanda cadunt Germanae robora pubis,
Pars vi, pars morbis, pars cadit xna fame.
Tanti si pergunt contagia serpere belli,
Interitus patriae palma furoris erit.
Vix tantae maculae proatorum annalibus haerent,
Vel nulla incubuit cura cayere nouas.
Vos exustatæ urbes, vos diruta moenia restor!
Te sine fronde nemus! te sine fruge Ceres!
Tot leucis syluae, pagi, urbes, praedia non sunt,
Nuper erant, nunc sunt sparsus ab igne cinis.
Ciuiibus expulsis quam squalent lumina stetu!
Quot non veste carent corpora, pane manus!
Nam facile incurrunt tales in retia praedae,
Haud celerem euadit tam rudis oena lupum.
Quid non improbitas accensi militis audet?
Quid non extorquet barbarus ense minax?
Huccine terribilem transmisit Thracia prolem?
Quam puto non homines sed genuisse feras.
Non fera tam saeua est, seruens cum compare pacem,
Cum tigris tigris cunqve leone leo.
Plus hominum in miseros armata licentia saeuit,
Sanguinis & spoliis sentit alitque sitim.
Illa renascentem tetris rot hiatribus hydram
Vallatam colubris qualibet arte fouet.

Ad

Ad quos non scopulos, quo non torrente videmus
Tot sine labe viros ingeniosque rapi?
An mutire nefas? an iisdem cornea fibra est?
Vel fati indultu fors asinina data?
Sensus iustitiae iam fundo exaruit imo,
Vix animum ratio religioque mouent.
Quo sane intuitu vel defleat Hannibal ipse
Ambiguae fortis sollicitasse fidem.
Nam viridis lauri fatum est arescere tandem,
Fortunae inuoluunt splendida dona dolum.
Pelides perdit pendentem in vertice palmam,
Troia perit tandem, sed perit ille prior.
An, qui vitam omnem vix vini aestimat assis,
Huic ferme euerfo proderit orbe mori?
Extremae vigilant reparando in milite curae,
Inquirente oculo vix caret vna domus.
An venalem habeas vitam? (sed oportet habere)
Quaestio iam non est vel scrupulosa parum.
Vix primae lanugo genas aetatis obumbrat,
Et iam ferre pauens cogitur arma puer.
Vel rude donatis opus est ad bella reuerti,
Creduntur modico membra rigere gradu.
Vel si militiae lex tantum incumbit adultis,
Hos saepe vilius mittere cogit opus.
Quae florem ac nerium pariunt regionibus artes,
Sunt nibili, praestant caedibus apta manus.
Tot deserta viris opifex subsellia cernens
Haec vitae humanae fulcra iacere gemit.
Hanc rapit soboles, hunc strata in limine mater
Plangit, & haec gnatum postulat, illa patrem.
Atque alium retrahit blando sub murmure coniux,
Vel sponsa instructum mox aditura sorum.
Haeret in amplexu sponsi, dinellitur aegre,
Dum semel accenso nubilus igne calet.
Plus dolor examinat miseram, cui nuntius affert
Vulnera vel morbos interitumque viri.
In gelido fixisse optat fida oscula vultu,
Excepisse animam, dum fugit, ore cupit,

Infudisse suam, reuocasse ad gaudia vitae.

O misera! haec miserae somnia pone spei!

Saeuit in hos igitur fortunae iniuria mores,

Tam faulstae pacem destruit illa domus,

Vel gnatos patresque inter pia vincula rumpit,

Et cunas violat camitumque senum.

Quis iam pro vita credit, lare, coniuge, gnatis,

Libertate, fœcis, legibus, arma capi?

Quid plus in bello pessundatur? an magis unquam

Sub pede tot legum vincula sacra iacent?

Nunquam emendatur belli sub motibus orbis,

Multorum & patitur iusta per arma salus.

Quis ferat audacem, quis ouantem sanguine vocem,

Durus pro molli sit nisi corde flexus?

Tam pulchrae, ac iactant, nunquam est victoria formae,

Sanguine ab humano fucus in ore sedet.

Vincere magna quidem est, ac parcere iusta voluptas,

Plus seruare unum quam iugulare decem.

An ne deficiat tellus habitanda colonis,

Ac desit sensim potus & esca, times?

Vi prosit numeros minui per funera Martis,

Atque tot ora vni non inbiare cibo.

Sicut falcis eget foliorum prodiga vitis,

Humanum credis falcis egere genus?

Fati hinc decreto partem per bella perire,

Lautius ut vitam turba superstes agat.

O quam delirat ratio, quam ludit inepte!

Plus hominum in mundo sed dapis esse minus.

An mirare hominem non aequè ac condere sciuit

Dextra Dei? an vitae est par potiorne cibus?

Mirifice instructam supremo a Numine mensam

Cernere se clare quis nisi talpa negat?

Viuentes nequeunt tantum consumere frugum,

Quam vel sub cultu vel quoque sponte datur.

Quo plus est hominum, sub quorum vomere tellus

Germinat, hoc etiam plus ea praebet opum.

Destruit in bello Cereris tot muneris miles,

Et iam rara serit, rara metitque manus.

An

An Iouis imperio censes haec fulmina mitti?
Arguis auctorem vulneris esse Deum?
Qui fons est pacis, qui legem inculcat amoris,
Hiccinne ciuilibus semina Martis alit?
Inspirasse putas animis discordibus iras?
Qua radice tamen tot mala nata vides.
Natura in gremio poenas & munera gestat,
Prorior haec offert, eligit error eas,
Quae sibi damna parit, iustum est, vt sentiat error,
Diuinam an mirum non inhibere manum?
Tot tamen innocuos fere mersos prona tueri
Sensim inhibet tumidi vim rabiemque maris.
Hinc genita in terris vel coelo agnoscere missa
Tot mala nil refert, thure litare decet.
Et precibus coelum lacrymis ac farre piare,
Crimina siue hominum, siue sit ira Dei.
Fusus sanguis alit belli non opprimit ignes.
Hos lacrymae exstinguunt tutius imbre suo.
Discordes ventorum animae Boreaeque Notique
Praelia dum miscent frenaque ferre negant,
Imbribus effusis toto mox aere cedunt;
Sic o Mars lacrymis impio cede piis!

Diuisos animos voti concordia iungit,
Iam quoque spem pacis Martis alumnus amat.
Hanc nos, hanc hostes, vna quasi voce precamur,
Vt natum in scisso deleat orbe nefas.
Ros ira vix recreat, qui mollibus incubat herbis,
Quam sitientem orbem pax recreare potest.
Pax Marte accipiti, pax tantis cladibus emta
Floreat, exbilaret, slet maneatque diu.
Haec dubiae in bello fortunae compe de soluar,
Perque illam exornet regna togata quies.
Abcondat tristes deletera iniuria casus,
Nulla cicatricum pus saniemque regat.
Hostiles iungat superum clementia dextras,
Sitque satis, patriam tam tremuisse diu.
Tu, qui regnorum vires & pondera libras,
Custos sancte Deus pacis & vltor eris.

* * *

Pars

Pars animae **TRILLERE** meae! Te forte fatigat,
 Fas est ut metuum, nostra querela nimis.
 Ordinar haud aliam posthac. En dextra fidesque!
 Plangere desiscunt, qui didicere pati.
 Praestat in aduersis patientia murmuris expers,
 Ad mala durati non rude peclus habent.
 Conuenit huic leges nostri committere fati,
 Qui firmare spei sutra caduca potest.
 In lacero iustus dum vimine nauigat aequor,
 Pandit ei faciles aura secunda vias.
 Si forte euertur, mediis caput exserit undis,
 Atque oculos illuc dirigit, vnde salus.
 Nos Naturae intra contenti viuere fines
 Fortunae in modicis credimus esse fidem.
 Vitam agimus tenuem sub honesti limite voti,
 Quis nostrum a superis iugera mille petit?
 Qui mox finit iter, magna ille viatica spernit,
 Scimus uterque, parum iam superesse viae.
 Punctum est, haud ultra, totum quod viuitur aeuum,
 In senibus puncto iam patet esse minus.
 Nil valde haec aetas metuit, desiderat, odit,
 Non spes non operas inchoat illa nouas.
 Sit tamen hisce prius discordia sinitibus exul!
 Et sit ab exilio pax male pulsa redux!
 O pax da placidae, quae reslant, munera vitae,
 Inque tuo occumbat nostra senectia sinu!

Antua, si veniet, vox o **TRILLERE** silebit?
 Vix alio poterit dignius ore cani.
 Desillabit enim liquido Tibi nectare Musa,
 Posteritas releget nobile pacis epos.
 Qui Pboebo rapuisse hynam Musisque nouem
 Non semel es visus, nunc videre magis.
 Plausum nemo negat, nisi qui discernere nescit
 Coruorum cantum Pieridumque melos.
 Quam tenero ac molli decurret tramite carmen!
 Dulcibus ausculta rauca querela sonis!

Gotingae mense Februario A. R. S. c1792cc1x


VD-18

ULB Halle 3
006 817 750





AD
VIRVM ILLVSTREM
DANIELEM WILHELMVM



LLERVM D.
RIVM AVLICVM REGIVM
AE PROFESSOREM PRIMARIVM
CADEMIA VITTEBERGENSI
AMICVM
ORVM MVNERVMQVE COGNATIONE
CONIVNCTISSIMVM

ELEGI
IVM ET POSTREMVM
E TEMPORE QVERVLI
G. RICHTERL

Kapsel 78V11 [7]

AK